



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CATACEN.-SQUILLACEN.,**

**COSENTINA- BISINIANEN., RHEGINEN.-BOVEN.**\*NOVA ORDINATIO PROVINCiarum

ECCLESIASTICARUM CALABRIAe Maiori Christifidelium spiritali bono consulere cupientes, auditio Conferentiae  
Episcoporum Italiae Praeside ac de consilio Congregationis pro Episcopis Praefecti, de plenitudine apostolicae potestatis  
Nostrae haec statuimus quae sequuntur ac decernimus. Archiepiscopales Ecclesias Catacensem-Squillacensem atque  
Cosentinam-Bisinianensem, hactenus recta via subiectas, ad fastigium metropolitanarum Ecclesiarum attollimus  
iisdemque iura et privilegia tribuimus, quibus reliqua ad normam communis iuris gaudent communitates metropolitanae.  
Simul praeterea ex integro ecclesiasticas provincias eorundem ipsorum nominum constituimus. Catacensem  
Squillacensem Archiepiscopum necnon Cosentinum-Bisinianensem Archiepiscopum actu munere perfungentes,  
Venerabilem Fratrem Antonium Cantisani priorem ac posteriorem Iosephum Agostino, ad gradum promovemus  
Archiepiscoporum Metropolitarum, quos iuribus pariter ac privilegiis augemus quibus ceteri Archiepiscopi Metropolitae  
fruuntur, at oneribus aequabiliter obligationibusque obstringimus quibus ii tenentur. Nova sic excitata ecclesiastica  
provincia Cataensis-Squillacensis constabit ex metropolitana Ecclesia Cataensi-Squillacensi tum etiam dicionibus  
Crotonensi-Sanctae Severinae et Neocastrensi quae adhuc archidioecesi Rheginensi-Bovensi fuerunt suffraganeae.  
Provincia Cosentina-Bisinianensis consistet illa metropolitana sede necnon suffraganeis dicionibus Rossanensi-  
Cariatensi et Cassanensi quae metropolitanae adhuc Ecclesiae Rheginensi-Bovensi suffraganeae fuerunt, tum Sancti  
Marci Argentanensis-Scaleensis communitate hactenus immediate subiecta. In posterum vero provinciam ecclesiasticam  
Rheginensem-Bovensem efficiet eiusdem nominis ecclesia una cum dioecesibus suffraganeis Locrensi-Hieracensi,  
Miletensi Nicotriensi-Tropiensi ac Oppidensi-Palmarum. Quae ad omnia diligenter in actum deducenda fidentes Nos  
Venerabilem Fratrem Andream Cordero Lanza di Montezemolo, Archiepiscopum titulo Tuscanensem in Italiaque  
Nuntium Apostolicum deputamus, necessariis et opportunis instructum facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de  
quo agitur quemvis in ecclesiastica dignitate constitutum virum, onere addito ad Congregationem pro Episcopis, cum  
primum fieri potuerit, germanum exemplar actus ipsius executionis peractae remittendi. Lubemus tandem singula et  
omnia hisce Apostolicis Litteris sancita plene sortiri suam vim tam nunc quam in posterum usque aevum, rebus  
quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die*  
*tricesimo Ianuarii mensis anno Domini bismillesimo primo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOANNES B. card. RE

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 6, pp. 337-338 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana